DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ARTHRITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER CROOKS, SCOTO-BRITANNUS.

Ad Kal. Maias, meridie, loco ſolito.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

LEXANDRO CROOKS

CHIRURGO CUPRENSI ANGUSIANO,

PATRI OPTIMO,

BENIGNISSIMO,

VIRO INTIGERRIMO,

SUMMA, QUA PAR EST, REVERENTIA,

PRIMITIAS HASCE,

SOLI, JURE, DEBITAS,

D. D. C. Q.

FILLIUS

ALEX. CROOKS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543174

DSSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ARTHRITIDE.

QUUM illuſtris hujus Academiae inſtitutum ſit, ut, qui ſummos in Medicinae honores ambiat, et Doctoratûs gradu ornari cupiat, ſpecimen aliquod, in Medicinae ſtudiis induſtriae ſuae atque ingenii, in publicum proferret; Diſſertationis hujus argumentum Arthritidem potiſſimum ſelegi. Quo morbo haud temerè quiſquam alius acriore dolore corpus humanum cruciat, nec obſtinatiùs Medicinae vires eludit; adeo ut *Medicorum opprobrium* vulgò dici ſoleat.

1. Arthritis (quod *τὰ ἄρθρα infeſtet*) definiri poteſt, Dolor acutus partium circa articulos, pedum praecipuè, a morbidae cujuſdam materiae ſingularis in vaſculis depoſitione et ſtagnatione exortus.

2. Morbus hicce veteribus notiſſimus fuit: ſub hoc autem genere, malum nunc *Rheumatiſmum* dictum complexi ſunt, *Arthritidis* nomine, omnem omnium articulorum affectum, ſive dolor ab inflammatione, ſive ab arthritico humore, ut recentiores loquuntur, oriretur, inſignientes. Si verò artus non omnes, ſed particulares aliqui, manus ſcil. pedis, iſchiae, &c. afficerentur, ab utracunque cauſa oriretur morbus, ex parte, *Chiragra*, *Podagra*, *Iſchias*, &c. variè nominabatur *.

3. Dividi poteſt in Haereditariam et Acquiſitam, Regularem et Irregularem.

4. Maximam autem partem, mares provectiores occupat, ſtudioſos praeſertim, et qui lectioni ſedentariae et indagationi philoſophicae vitam impendunt; unde *Morbus Sapientum* interdum dicitur: eos itidem qui, ex vita agili, in quietiorem et remiſſam ſùbitò tranſeunt. Caſtratos verò, pueros et foeminas, niſi viragines, vel tempus menſtruale praetergreſſas, rarò, ſi unquam, aggreditur.

5. Cauſae

* Hipp. lib. de Affect. Epit. Galen. de Comp. Med. ſec. loc. lib. x.

Alexand. Trallian. lib. i. cap. 1.

Ælii Tetrab. iii. ſerm. iv. cap. 33.

5. Cauſae morbi hujus remotiores cenſentur, victus lautus, plenus, opiparus; pocula nimia nocturna, praecipuè acida vel auſtera; Venus immodica et praematura. Unde apud Poetam:

Ut Venus enervat vires, ſic copia vini
Et tentat greſſus debilitatque pedes.

Contrà, reputando quot homines omnis generis intemperantiae ſerviant, nec tamen vel minimum hujus morbi aculeum ſentiunt; ubi alii omnem exceſſum caventes, vitaeque temperantiſſimae dediti, hujus tamen incurſationibus ſaepius opprimuntur: ſtatuendum videtur, cauſam aliquam aliam praediſponentem in corpore exiſtere; unde in proclivi eſt conjicere, in unoquoque diſpoſitionem eſſe ad materiam morboſam arthriticam generandam, et ut ad actionem unquam producatur, aut ut effectum ſuum in aliis exſerat, in aliis non item; id verò vitio alicui excretoriorum, cutis forſan, vel haereditario vel accidentali deberi.

6. Morbi cauſa proxima, materia eſt acris, nervos admodum irritans, quoties eos contingit.

Hujus materiae naturam et indolem ut inveſtigarent, haud parùm operae impenderunt Medici:

hodie

hodie tamen nil magis intelligi videtur quàm SYDENHAMI temporibus. * Alii, eam tartareae; † alii, urinoſae; ‡ alii alkalinae; ** alii autem nunc acidae, nunc alkalinae acrimoniae, eſſe volunt. Ad primae poſterioris opinionis hujus partis fidem faciendam, haud alienum eſt obſervare, Arthriticos complures, ante ſingulos hujus mali aſſultus regulares, acido in ſtomacho laborare, nec ulterius aciditatibus vexari, ut ſemel in pedibus et articulis conſedit dolor. In Diſſertationibus Medicis Londinenſibus, exſtat hiſtoria inſignis cujuſdam et criticae, in Arthritico, per vomitum evacuationis mateٍriae acris admodum atque acidae. Illuſtris nuper Medicus Edinenſis, dum, in urina affectorum Arthritide vaga, pellucida quaedam, et ductilia admodum filamenta cerneret, ea Arthritidis et calculi materiam morboſam pronuntiabat ††. Summa autem materiae arthriticae ſubtilitas, noſtra forſan in perpetuum, indagamina effugiet. Eatenùs tantùm ſtatuere licet, ex effectibus ejus violentis et admirabilibus ſaepe, ejus eſſe naturae, quae nervis et humani corporis partibus ſenſilibus inimiciſſima ſit.

7. In

* Hoffm, cap. de Podag. et Arthritic. ver.

† Chyne on the Gout.

‡ Dr. Steven's Eſſay on Aliments, prefixed to his tranſlation of Dolaeus on the Gout.

** Cajetan. Tacon. in comment. Acad. Bonon.

†† Dr. Pringle on the Diſeaſes of the Army, pag. 157.

7. In articulorum ligamentis et membranis, et muſculorum tendinibus, motui ſervientibus, praecipua hujus morbi ſedes eſt.

8. Accuratiſſimam omnium, quae in publicum prodierunt, Arthritidis regularis hiſtoriam nobis propinavit illuſtris SYDENHAMUS, quae a natura ad amuſſim tranſcripta, in pleriſque, minima cum variatione eadem apparebit; quam peritiſſimus HOFFMANNUS, Diſſertationi de hoc morbo ſuae pleniſſimè inſeruit, utpote quâ nulla melior exhiberi poterat: hanc igitur, quàm breviſſimè potero, et deſcriptionis natura patietur, proponam.

9. Vere ineunte, et Autumno Arthritidis regularis ſeu podagrae aſſultus plerumque accidere ſolent. Per aliquot ſeptimanas antequam acceſſerit, aeger, laſſitudine inſolita et gravitate, cum appetitûs proſtratione, ἀπεψίᾳ, multo ſtomachi flatu et cruditate, ſtricta alvo et pedum ariditate, laborat; paucis autem diebus, torpor, et quaſi flatuum deſcenſus, per femorum carnes, cum affectione σπασμοειδεῖ, paroxyſmum praeit; pridie autem paroxyſmi, appetitus acrior, non tamen naturalis eſt.

10. Circa

10. Circa ſecundam poſt mediam noctem horam, ingruit paroxyſmus, cum dolore ſaeviente, plerumque in pollice pedis, ſenſatione quaſi aquae tantùm non frigidae partis affectae membranis affuſae; inde rigor, cum horrore et febre ejuſque ſymptomatibus, inſequitur. Dolor autem hic primo remiſſior, ut rigor et horror paulatim recedunt, gradatim intenditur; tarſi et metatarſi oſſicula occupans, eorumque ligamenta obſidens; nunc tenſionem violentam, vel ligamentorum iſtorum dilacerationem; nunc morſum canis rodentis, quandoque partium affectarum preſſuram et coarctationem referens. Elapſo nychthemero, dolor imminuitur; pars rubeſcit, tumeſcit; febris leni cum madore decedit. Die ſequente, fortè etiam ad biduum triduumve, ſi materia copioſior fuerit, pars affecta dolebit aliquantulum; vehementiùs quidem Veſpere; ſub Auroram verò levabitur. Paucis poſt diebus, pedem alterum ſimiliter et ſimili eventu occupat; interdum utrumque ſimul invadit; ubi, ſub aſſultus initium, materia peccans copioſior eſt quam ut pes alter eam continere queat. Utroque ſic pede correpto, paroxyſmi inſequentes, tum invaſionis tempore, tum duratione, minus fiunt regulares; dolore tamen veſpere ſemper ingraveſcente,

mane

mane autem ſeſe remittente; atque ex horum aſſultuum ſerie, conſtat paroxyſmus qui dicitur *podagrae*, diuturnior breviorve, pro aegri aetate. In vegetioribus, et iis quos podagra rarius inviſit, materia peccans quatuordecim dierum ſpatio conſumitur et evacuatur: in ſenioribus, atque iis quos ſaepius afflixit, duobus menſibus: in debilioribus vel annis gravibus, non ante aeſtatem provectam decedit. Per totum aſſultum, animus excitatur facilè et irritatur: ad quatuordecim dies primos urina coloratior eſt, ſedementumque rubrum, et arenulis quaſi refertum, deponit; nec aeger, ut plurimum, niſi tertiam potulentorum quae aſſumpſit partem, per veſicam, reddit; alvus quoque, ad primos ferè dies, conſtipata eſt; appetitus proſtratio; rigor totius corporis ſub veſperam; partium etiam non affectarum gravitas et moleſta ſenſatio, integrum paroxyſmum comitantur. Paroxyſmum decedentem excipit pedis affecti pruritus, inter digitos maximè, vix ferendus; unde decedunt furfures, et pedes ipſi, quaſi ab epoto veneno deſquamantur.

11. Studia

11. Studia nimia, animi pathemata, purgatio alvi nimia, defatigatio, debacchationes, ſubitae Coeli mutationes, paroxyſmo accelerando ſingulae inſerviunt.

12. Atque de podagra regulari, haec hactenus: ubi verò materia morboſa copioſior et acrioris naturae generatur et accumulatur ; vel aeger crebrioribus aſſultibus, per annos complures, oppreſſus, viribus adeo eſt imminutus, ut Natura eam, more ſuo, ad pedes deducere nequeat ; tum vero, manus, carpos, cubitos, genua, parteſque alias, arripit, concretiones tophaceas generans, articulos diſtorquens, motuque privans. Æger, in hoc ſitu, uberiorem tenuem et liquidam, ſedimentum nullum deponentem, urinam reddit ; haemorrhoidibus obnoxius fit ; appetitu pravo, ſpaſmis et calculo demum ſaepe affligitur. Breviora jam fiunt intervalla, per menſes ſcil. duos, aut tres, aeſtivos calidiores ; et, per ea, aegri membra adeo contracta ſunt et debilia, ut non, niſi magna cum claudicatione et moleſtia, ambulare poſſit. Paroxyſmus generalis, uti jam perſeverantius quàm in podagra regulari perdurat ; ſic ſpeciales et minores,

quibus

quibus conficitur, diutius ſaeviunt: quum enim ex his aliquis non ultra diem unum aut alterum duraret, nunc, ubicunque ſedem poſuerit, praeſertim ſi pedes aut genua afficiantur, non ante diem decimum quartum decedit: ut plurimum aeger, hoc in morbi ſtadio, nauſeâ, ructibus nidoroſis, et debilitate magna, vexatur.

13. Cum verò aegri vires ita ſunt exhauſtae, ut Natura, in articulorum aliquo, materiam peccantem expellere nequeat; vel cùm, medicatione indebita, in paroxyſmo repellitur: in utrovis caſu, materia morbida ſaepe partes nobiliores invadit, ibique dira quaedam, et ſaepiùs ſymptomata ſubitò funeſta inducit; varia quidem pro organorum affectorum varietate. In capite, dolores diſcruciantes, apoplexiam, lethargum, paralyſin, delirium, maniam, ſoporem, tremores et convulſiones univerſales excitat: in pulmonibus aliiſque pectoris partibus, tuſſim convulſivam, aſthma ſpaſmodicum, ſuffocationem, pleuritidem, &c. in ventriculo atque inteſtinis, anxietatem, nauſeam, vomitum, tormina, diarrhoeam, &c. in corde, palpitationes, anxietatem, oppreſſionem, &c. in renibus, ureteribus et veſica, ne-

phritidem, iſchuriam, &c. Hiſce ſaevientibus, nullus in articulis dolor; et, vice verſa, deficiente Natura, praegravantur viſcera vitalia, et moritur aeger.

14. Paroxyſmi duratio brevior aut diuturnior, et varii morbi gradus, ad materiae peccantis copiam, et acrimoniae gradum, referri poſſunt; quae rurſus aut a diatheſios energia, varia vivendi ratione, aut a partiali, per propria ejus emunctoria, excretione, pendere videntur. Nec abſimile eſt, ipſam hancce materiam, ſingulari quadam modificatione, et, in quibuſdam conſtitutionibus, malis hypochondriacis, hyſtericis, aliiſque quae vulgò nervis adſcribuntur, originem praebere: magna enim eſt ſymptomatum ſimilitudo, quae ex materia arthritica retrogreſſa, aut alioquin a ſede ſua in articulis impedita, occurrunt, cum iis quae in aegris hypochondriacis et hyſtericis obveniunt. Obſervare etiam ulteriùs libet, Arthriticos, regulari podagra laborare ſolitos, ab omni, qui *nervoſi* vulgò dicuntur, morborum genere prorſus eſſe immunes. Tempeſtatum viciſſitudines corpora noſtra mirè afficiunt; inde eſt, quòd tam mala cujuſcunque generis inflammatoria, quam

inter-

intermittentia, vere et autumno, maximè graſſantur; atque hinc arthritis regularis, hiſce aut ineuntibus aut deſinentibus, plerumque accedit. A materia morboſa ſyſtema vaſculoſum onerante, vel ab ejus irritatione, ſpaſmum quendam inducente, deduci poteſt laſſitudo, &c. E digeſtione tardata, ventriculo debilitato, et conſequenti cruditatum accumulatione, exoriuntur flatus, apepſia, &c. A pedum ſitu, quod frigori magis objiciantur, majorem ſubeant preſſuram, et longius a corde diſtent, evenit, ut materia morbida illuc plerumque vergat: ex arthriticae materiae irritatione oriuntur horror et febris, et ex ejus ad pedes tranſlatione, febris criſis: a materiae acrimonia tenellorum vaſculorum, in quibus ſtagnat, latera et extrema vellicante et erodente, proveniunt dolor et ſpaſmus, variaeque ſenſationes a variis, quas obſederit, articulorum partibus; ab extravaſatione autem materiae, et occurſu ſolius in corpore fluidi, quod ejus vim agilem retundere et delere poſſit (ſcil. mucilaginoſi harum partium linimenti), doloris remiſſio, et paroxyſmi ſolutio. Ubi materiae acrimonia perquàm eſt virulenta, unà cum mucilagine, concretiones tophoſas generat. In cute pruritus et deſquama-

tio

tio accidit; eo quòd materiae aliquantum, per poros hujus emunctorii, in acri ſuo ſtatu ante evaſerit, quam penitùs miteſcat. Mens irritabilis, a ſyſtematis nervoſi irritatione, dolore et ſpaſmo conſequente, efficitur. A metaſtaſi, denique, materiae arthriticae ab articulis, jam fortè imperfecta ejus cum mucilagine miſtura viſcidioris redditae, et ut in vitalibus aliiſque organis haeſitet aptioris, ſymptomata violenta, ipſaque mors tandem, conſequuntur.

15. Apud omnes conſtat, arthritidem, ſive haereditariam ſive adventitiam, curationis difficillimae eſſe morbum; eoque magis, quo longius duraverit, quo ſaepius invaſerit, et quo plura et graviora fuerint ejus ſymptomata. Qui haereditariam excipiunt in juventute accedentem, raro longaevi ſunt; quos verò provectiores et robuſtiores aſſequitur, ad longam ſenectutem ſaepe perducit. Ubi concretiones tophoſae generantur, et ſimul cum ſenii adventantis debilitate, accedunt etiam calculus et nephritis; aut ubi materia morbida retinetur vel repellitur in corpus, et organa vitalia corripit; in utrovis caſu, inſanabilem et aegro mortiferam confeſtim pronuntiare licet.

Qualis

Qualis fuerit febris violentia, talis erit et paroxyſmus; durationis ſpatium a viribus aut imbecillitate ægri pendebit, a copia item et activitate materiæ arthriticæ, doloris gradu et mucilaginis occurſantis commeatu, pendebit. Quo plenior et perfectior materiæ morbidæ fuerit depoſitio et eliminatio, eo diuturniora erunt intervalla, et vice verſa: ſecuritatem quoque pollicetur acutus dolor, proprium enim eſt naturæ inſtrumentum ad materiam arthriticam ejiciendam. Juvenes facilius curantur quam ſenes.

16. Patientiam ſuadeat Socrates dum cum Hippocrate curam aggredior. In hoc malo veteres medicinæ viribus multo plus attribuiſſe videntur quam hodierni; plurimum enim in evacuationibus, alterativis et topicis occupati ſunt, quaſi inde aliquid efficeretur; dum recentiores morbum, magna ex parte, naturæ arbitrio permittunt, ægrum autem patientiæ et lanulæ curandum demandant. Atque adeo, quemadmodum arthritidem in tres ſpecies diſtinxerant, ſanguineam ſcilicet, bilioſam et pituitoſam, ita in praxi proceſſerunt: in ſanguinea enim liberrima phlebotomia utebantur, in bilioſa quoque

ſæpe

ſæpe ſanguinem mittebant; in omnibus autem, præcipue vero in pituitoſa, ſegnia torminoſa cathartica adminiſtrabant; et poſt hæc ægrum diuturno medicinæ amaræ regimini ſubjicere ſolebant.

17. Indicationes curatoriæ hæ ſunt: 1*mo*, Materiam jam natam ita transferre et evacuare, ut ad eas partes feratur, ubi minime nocebit, et huc ſpectat ægri, paroxyſmi tempore, tractatio. 2*do*, Arthriticam in habitu diſpoſitionem, quam unicuique congenitam poſuimus, ita immutare aut delere, vel ita excretorium aliquod comparare ut per id materia peccans, quo tempore naſcitur, aut antequam eo accumuletur, ut multum corpori officiat, evacuetur. Atque hæc præcipua eſt et cura radicalis.

18. Ad ægri tractationem, tempore paroxyſmi, quod attinet. Summa hic adhibenda eſt cura, ne dum naturæ auxilio eſſe meditamur, prava aliqua aut imperita tractatione ejus conatibus obſiſtamus. Hoc enim tempore (ut ſcite monuit Doctiſſ. MEAD) affectio, morbi potius criſis quam morbus ipſe exiſtumanda eſt. Aliquando

quando tamen auxilium neceſſarium devenit: itaque in plethoricis admodum et ſanguineis, ubi febris nimis excandeſcere periclitatur, (hoc enim in caſu materia morbida impeditur quo minus ſedem petat:) modicam ſanguinis miſſionem ſuaderem. Rurſus ubi ventriculus cruditatibus, &c. opprimitur, ut primum materia arthritica moveri cœperit, et acceſſum appropinquare apparuerit, florum chamæmeli aut foliorum cardui benedicti infuſione vomitum lenem, ſemel aut bis, excitandum hortarer: " Hoffm. in cap. " de arthrit. et podagr. p. 354. ſe annotare nar- " rat, leviores ſemper arthriticos et podagricos " paroxyſmos fieri, quando natura vel ſponte vel " adjuta, ſeſe a colluvie vitioſorum humorum, per " vomitum ante acceſſum liberaverit." Ut ægri hujuſmodi ſtricta ſemper alvo laborant, clyſmata laxantia per totum adſultum tuto adminiſtrari poſſunt.—Hoffmannus enim loco jam dicto p. 348. " Ego, ait, imminenti " paroxyſmo, primam regionem ante omnia le- " niter a ſordibus alvinis, neque minus a col- " lectis in duodeno et reliquo inteſtinorum cana- " li vitioſis humoribus deplendam et expurgan- " dam ſuadere ſoleo: et ibi mitiores ſemper

" dolores

"dolores evadere, ſi prima regio prius ſordibus "ſuis probe fuit expurgata." Robuſti et vegetiores per totum acceſſum in victu tenui continendi ſunt, et in iis diaphoreſis, levium e ſalvia, meliſſa, ſaſſafras, aut ſimilibus decoctionum vel infuſionum potu, promovenda eſt. In debilioribus et ætate provectioribus, victus ditior pleniorque cum potu ſubinde vini cujuſdam generoſi adhibendus eſt; et in his diaphoreſis ſeri vinoſi potatione eſt conſervanda.

19. Topicis in hac morbi periodo adhibendis plurimum ægris damni illatum eſt; quod adeo jam innotuit, ut eorum uſus penitus, et merito, rejiciatur. In hoc tantum caſu, cum aliqua auxilii ſpe adhiberi poſſe mihi videntur, ubi nempe, ex doloris violentia et ſpaſmo conſequenti, idoneus ad partem humoris fluxus impeditur, tumor inde tardatur et paroxyſmus protrahitur, et ægri vita, eo quod materia morbifica forte ante fuerit abſorpta quam innocua reddita, periclitatur: hic enim emollientium et maxime relaxantium effectus experirer; pedem ſcilicet aquæ calidæ vaporibus objiciendo, aut ex lacte et pane cataplaſmate involvendo, aut

ſtupis

ſtupis ex aquæ et lactis mixtura calida fomentando.

20. Tumor ſaepe reſtat, aegro, poſt etiam quam obambulare poſſit, moleſtus: quem quidem ut amolirer, bis die partes panno laneo calido fricandas; noctu quidem eodem, olibani, ſuccini, aut maſtici vaporibus onuſto, involvendas; interdiu autem calceos deſuper aſtrictos (*Laced Shoes*), uſurpandos monerem.

21. "Ad tophos diſcutiendos et reſolvendos "in ſenili et inveterata podagra, ego non prae"ſentius ipſo balſamo ſulphuris antimoniato, "quod ex ſale ſcoriarum reguli antimonii ſimpli"cis, ſuperinfuſo oleo terebinthinae et juniperi, "paratur, me deprehendiſſe, aſſeverare poſſum," ait HOFFMAN. loco citato, pag. 350.

22. Arthritidis internae, ſive irregularis tractandae regulas ſtatuere eas, quae variationem non admittant, haud certè facilè eſt. Indicationes igitur a ſymptomatibus quàm optimè deducuntur, quae diverſa admodum ſunt, pro diverſarum partium aſſultu, et diverſa uniuſcujuſ-

que hominis diatheſi. Tractatio Arthritidis in paroxyſmo hodie ita probè intellecta eſt, ut rarò, ex materiae morbidae retropulſione, ſequius quid accidat; ſi autem acciderit, aut ſi, ex imbecillitate, materia morbida in corpore fuerit retenta, rationes vulgò traditas, ad dira, ex hoc triſti eventu, conſequentia ſymptomata curanda, idoneas, breviter tantùm memorabo. Sanguinis miſſio prima ſemper praecipitur, in quacunque parte conſederit; et, ſi neceſſe ſit, repetenda; cujus effectum huncce praecipuè aſſerit MEADIUS, ut morbus locum, in quo conſederit, deſerere cogatur. Irritatio item pedum et articulorum, frictione, verberatione urticae, ſinapiſmis et epiſpaſticis largis, femoribus cruribuſve applicatis, maximè utilis eſt. Fomentationes emollientes et calidae hiſce regionibus, in quibus conſedit, applicatae. Ubi ventriculum obſedit calidiſſima quaeque aromatica cardiaca commendantur; nam, ut MEADIUS jam memoratus monuit, "Hoc in "caſu, organum hocce adeò frigidum et torpi"dum evadit, ut vinum non aquâ generoſius vi"deatur, et liquores vel calidiſſimos et poſtulet "et facilè patiatur." Hic etiam ſtomachica amara, calida, leniter laxantia proderunt; vo-

mitus

mitus quoque, leniſſimi autem, uſurpari poſſunt. In inteſtinis eadem adhibenda ſunt remedia; purgativa autem, è tincturis amaris calidis, intenſiùs uſurpanda, praeſertim ſi alvi laxitas comitetur: in renibus, injectiones terebinthinatae adminiſtrandae; atque, prout quodque organum invaſerit, tractatio ita eſt varianda, et ad indicationem particularem accommodanda. Remedia haecce calida et refocillantia, in provectioribus et ſenibus, quàm in junioribus et vegetioribus, liberius exercenda. In his, contrà, quam illis venaeſectio multò uberior eſt admittenda; ſi opiata ſunt periclitanda, cum aromaticis calidis, qualis eſt theriaca, conjungenda ſunt.

23. Ad indicationem ſecundam jam ventum eſt: 1mo, nempè, ut conemur arthriticam in habitu diſpoſitionem, quae in organis primae digeſtionis ineſſe videtur, mutare aut delere; vel, 2do, Excretorium aliquod ita afficere, ut per id materia peccans, ſimulac naſcitur, aut ſaltem antequam corpori nocere poſſit, deferatur. Atque haec cura eſt radicalis; quod efficere, jam diu exſtitit, et etiamnum praecipuum exſtat, inter ea quae in medicina deſiderantur. Si autem ratio jam proponen-

da,

da, deſideratum hocce, aliqua ex parte, praeſtare poſſit; id verò tempore et experientia ſtatuendum eſt.

24. Nullo in morbo, magis quàm in hoc, diuturni medicinae cursûs perſeverantia eſt neceſſaria. Celebris illius pulveris arthritici (*Duke of Portland's powder*) fama, haud forſan minùs diuturno ejus uſui praeſcripto debebatur, quàm ulli ſpecificae aut praepollenti virtuti, qua ulli alii ritè delecto amaro praeſtaret. Componitur autem ex partibus aequalibus rad. Ariſtol. rotund. et gentian. et ſummit. et fol. chamaedr. chamaepit. et centaur. probè ſiccatis, in pulverem redactis, et per cribrum miſſis. Pulveris hujus mixti drachma, vino, aquae, aliive cuivis vehiculo admiſta, aegro jejuno ſingulis diebus propinatur, ita ut poſt epotam, ſeſquihoram jejunus maneat, per tres menſes, ſine intromiſſione, continuanda; dein doſis quarta parte imminuta, per tres menſes ulterius; deinde drachma dimidia, per alios ſex menſes; et, denique, altero quoque die, per integrum poſtea annum, dimidia praeſcribitur. Quod quidem remedium in aliis profuit, in aliis non item. In cujus locum corticem Peruvianum ſubſtituerem, remedium priùs

memorato

memorato multo praeſtantius; quippe quod omnes virtutes a priore vindicatas, et quidem gradu eminentioré, poſſideat; nec (quod magnum eſt in tam diuturno et continuato uſu) adeo nauſeam creat et ventriculum offendat; et, me judice, multo majorem, ad morbum radicitùs tollendum, efficaciam polliceatur, quodque omnia commoda a priore ſperata, et multo breviore tempore, effecturum ſit. Doſis igitur, in initio, ſit drachma dimidia, bis ſingulis diebus, mane ſcil. et hora ſexta pomeridiana; et, ad alvum ſolubilem ſervandam, ſingulis doſibus pauca rhei optimi grana addi poſſunt; ubi autem ſolutior eſt, omittenda: doſis vero, prout ſtomachus ferre poterit, ad drachmam integram augenda eſt, et ad ſpatium ſaltem ſemeſtre, ſine intermiſſione, continuanda: a prima autem et plena convaleſcentia, ex regulari morbi aſſultu, incipienda.

25. Excretoria urinaria praecipua ſunt, quae fluidorum noſtrorum acrimoniam exhauriunt et eliminant; et quamdiu officio ſuo funguntur, nullum ſequitur incommodum aut periculum a perſpiratione impedita, aut acrimonia, quae in corpore naſcitur, retenta. Ad ſecundam igitur indicationis partem obſecun-

dandam,

dandam, ut ſcil. materiam morbi, ſimul ac generatur, eliminemus, ea tantùm medicina eſt comparanda, quae meatus hoſce expurgandi, et terſos apertos ſervandi, virtute polleat. Cujuſmodi, imprimis, eſt aqua calcis; quae quidem medicina non tantùm huic rei accommodatiſſima videtur, ſed etiam medicinae prioris adjuvandae, in prima curationis intentione, vi haud ſpernenda pollere. Cujus ex uſu, ſaluberrimos effectus ſperare licet, ex inſigni et multiplici ejus, variis in caſibus, efficacia, a doctiſſ. D. Alston memorata, in tertia ſua, de hac re, Diſſertatione, praecipuè conſulenda. Cujus in hoc morbo efficaciam, ſi ulterior et diuturnior experientia demonſtraverit, quantum eſt quod ſaecula ingenioſis illis et doctis viris debebunt, qui in ejus natura et operatione inveſtiganda, et qui morbos multos, alioquin obſtinatos et inſanabiles, ejus uſu monſtrando et commendando, tantùm operae et ſtudii impenderunt.

Incipiat igitur aeger, primo, poſt ſingulas pulveris doſes potûs hujus puri, nec ingrati, ſeſquicyathum haurire; dein tum copiam, tum bibendi tempora ſenſim augeat, donec et ad victum, et pro potu ordinario uſurpaverit, et ſpatio diurno duas aut

tres

tres libras uſurpaverit. Quali autem victu et potu ſimul utendum ſit, id quidem ex doctiſſimis ingenioſi D. WHYTT Diſſertationibus, de hac re, diſcere licet. Praeterea, quoniam compluribus, ex modico ejus uſu, potatio adeo grata eſt, ut etiam appetant, non nimis arduum videbitur, ſi eam per totam vitam bibendam propinarem. Qua quidem re non ſolum ab materia arthritica, ſi quis poſt regimen ſupra memoratum generatur, expedientur; ſed ita meatibus urinariis terſis ſemper, et ad aliam omnem acrimoniam evacuandam aptatis, alios etiam morbos effugient.

26. Denique, Regulas quaſdam ex HOFFMANNO ſubjiciam arthriticis obſervandas, quae Diſſertatiunculae huicce finem facient, et quaſi coronam imponent. "Primo omnium, qui vult degere im-
"munis a pertinaci tam podagrico quam articulari
"affectu, temperet ſibi, quantum poſſibile eſt, ab
"uſu Veneris maximè immoderato, quam cor-
"poris languor et dolor ſubſequitur.——Dein e-
"brietatem, copioſam vini potationem, et liquo-
"rum inebriantium ingurgitationem omni cura et
"ſtudio fugiat.—Porro, temperet ſibi a multo ci-
"bo,

"bo, tam in paroxyſmo, quàm extra morbi exceſ-
"ſum, et ab omnibus gravioribus curis, animi
"laboribus, mutationibus et perturbationibus."

Quibus addere libet, exercitationi modicae et veſtitui pleniori corpus aſſuefaciat.

FINIS.